AVGVSTISSIMI

In Sedem Episcopalem Cracouien: ingreſſus,

ILLVSTRISS: ET REVEREN: DOMINI,

D. PETRI TYLICKI

DEI GRATIA,

EPISCOPI CRAC:

Ducis Seueriensis &c.

GRATVLATIO.

AB

Andrea & Sigiſmundo à Sczekárzowice Tárło, Vexilliferid: Præmyslien: itemq; à Nicolao & Alexandro Skotnicki, Oblata.



CRACOVIÆ,
In Officina Simonis Kempinij,
A. D. M. DC. VII.



IN ARMA
Illustris: Domini, D. Petri Tilicki,
Episcopi Cracouień: Ducis Seuerień:
EPIGRAMMA.
Andreę à Sczekarʒowice Tarło.

SI Soleam specto mihi Martha subinde recurrit,
Sollicitos ducens, per sua lustra dies.
Si pictas vtrinq; cruces contemplor, oberrat
Magdalis antè oculos, relligiosa meos.
Stemmate tu ista tuo complecteris vtraq; Præsul,
Dum soleam cingit crux repetita tuam.
Ista quid arma notant? nempe Illustrissime Præsul
Magdalis & Marthæ te bene facta sequi.
Obsequium Marthæ Respublica nostra requirit,
Magdalis officium Pontificale pedum

Nicolai Skotnicki.

CRux soleam video soterica cingit vtrinq;,
Has inter medium continet ipsa locum,
Quid tam disparium signat connexio rerum?
Vngula equum decorat Crux benedicta Deum;
Est hominum multis obnoxia vita periclis,
Ad vitium flecti perfacilesq; sumus;
Sed quicunq; suos ita sanctè dirigit actus,
Sedulus vt sanctam spectet vtrinq; Crucem,

Terq́; quaterq́; mihi fælicior ille videtur
Quid multis? talem talia ſigna notant

Sigiſmundi à Sczekárzowice Tárl

Hæreſis atra fuge, en ſolea crucibusq́; ſuperbus
Ingreditur Princeps Hæreſis atra fuge,
Tartareum premit atq́; fugat Crux Sancta Draconem,
Ille tuus Princeps, Hæreſis atra fuge
Non metuis veſana crucem? ſoleam ergo paueſce.
Crede mihi rumpet vngula fiſſa cutem.

Alexandri Skotnicki.

Hæc illa eſt ſolea excuſſit qua Pegaſus vndas,
Illaq́; Crux quondam quam Deus ipſe tulit;
Talibus innixus tu Princeps optime ſignis.
Scandis honorum alis culmina Pegaſeis
Ergo Chriſticolas Cruce conſolare beata,
At ſolea hæreſeon agmina cæca feri

ODE
Tricolos Tetraſtrophos.

VIdes vt alto munere cælitum
Ornatur amplis Præſul honoribus,
Quem præpotens Aſtrea Craci
Culmine conſpicuo beauit.
Procul recedat finibus vltimis
Vana illa ſtultæ plebis opinio,
Pendere mundo cuncta, viſu
Sortis ab arbitrio, carentis
Quicunquè niſu ſplendida ſedulo
Optans honorum culmina conſequi
Dolo malas attentat artes.
Spesquè auidis iaculatur auſis
Inſanus errat. Proſpicit omnia
Alto verendum numen ab æthere,
Mortalium facta, & perenni
Arbitrio regit vniuerſa
Vt qui fugacem prêndere dextera
Conatur vmbram, ludit inaniter.
Sed dum fugam velox capeſsit,
Huic comes aſſociatur vmbra,
Sic quiſquis aduerſo Ioue, ſedulus
Vmbras honorum perſequitur graues,
Fauoris expers hic ſuperni

Æthiopem lauat inuenuſtum,
Virtus repulſæ neſcia ſordidæ
Ad alta honorum culmina principem
Gradum tenet, quam qui aſſecutus
Ille ſuo ferit aſtra vultu.
Hanc tu tenebris Cymmerijs preme
Non obſoleſcit viuida ſordibus,
Et enatat, quamuis profundo
Vortice merſeris Amphytrites.
Huic iuncta ſtricta compende fœderis
Quæ ſubſequentes obtinuit gradus
Prudentia;hac quicunque auitam
Imbuerit ratione mentem,
Illum ſereno lumine proſpicit
Supremus alto Iupiter æthere
Et dextera lætum potenti
Ducit ad eximios honores.
Non ille ſortis tela volubilis
Infractus alta mente morabitur,
Sed fabricans incude ſortem
Ipſe ſibi, eſt vacuus perîcli
Dic quiſquis oras Sarmatiæ incolis,
Dic quiſquis Heroum Lydio notas
Actus lapillo ;& ſempiternis
Geſta refers memoranda faſtis;
Pręſul Tiara triplice ſplendidus
Tantos honores queîs adijt vijs?
Recede liuor ô Tylicci

Altior

Altior inuidiæ tenebris;
Virtus trabali fortiter intimo
Infixa clauo pectore Præsulis
Prudentiæ coniuncta, tanto
Culmine te meritum locauit.
Iam sacra Præsul sceptra manu cape,
Virtutis almæ iam cape præmia,
Vrbemquè tot diuis beatam
In Pylios tuearis annos.

Andreæ à Sczekarzowice Tarlo.

Diui tutelares Cracouiē: Illustrissimum suum Præsulem salutant.

QVotquot in orbe gradus variorū dantur honorum
Inter Sarmatiæ cunctas præstantior vrbes
[V]rbs antiqua Craci, Diuos tot honoribus auctos
[O]btinet, hanc Regnumquè suo qui iure tuentur.
[C]onspicuum mitra atquè pedo si cernere poscis?
[St]anislaus adest custos Cathedrę, arcis, & vrbis
[...]is Myzocosmon vestitum terga cucullo?
[...]n pro plebe preces offert Hyacinctus auitas.
[A]rmigeri cupias si cernere Martis alumnum?
[...]iuus adest. trahit à roseo qui nomina flore,
[O]ptas conspicuum regali stemmate diuum?
[Pa]rthenicę decus en radiat Salomęa coronæ.
[Ar]tibus illustrem ingenuis? se Cantius offert.
[...] tibi Petre nouos cuncti gratantur honores

Eximiis

Eximijs ſuperûm donis tot honoribus aucto
Quot tutelares alis alma Cracouia diuos.

Nicolái Skotnicki.

Quatuor ſedium Epiſc: certamen.

LIs vrbes inter quatuor non parua coorta eſt
Vtrius Antiſtes Petre futurus eras
Ad ſua Culma prior te ſceptra regenda popoſcit,
Iureque primatus vendicat eſſe ſuum;
Perculit immenſus Varmę precordia liuor,
Quod tanto inferior Culma potita viro;
Nec requieuit enim, donec fęlicibus auſis
Ad ſua pertraheret ſceptra regenda Petrum.
Sed fruſtra vana ſpe paſceris, & tibi Petrum
In multos optas Varmia Pruſſa dies
Namquè opportunum ſedęs Pomeranica tempus
Nacta, ſuo rapuit Principe iure Petrum.
Tandem Sarmatię Regina Cracouia dixit
Certate, vt placitum, ſed meus (inquit) erit
Quid multis opus? hanc litem Themis alma diremit
Arbitriumquè ſuo numine tale dedit.
Eſto Craci Antiſtes Petrus Illuſtriſsimus vrbis,
Excipe, Gneſna olim ni velit eſſe ſuum,

Andreæ à Sczekarzowice Tarſo.

Petre, paſce oues meas.

ROma petra fundata ſuo celeberrima Petro
Gaudet, & hac toto ſplendet in orbe petra;

Qui

Quid mirum gaudet ſi noſtra Cracouia Petro?
Datquè ſuę Petro ſceptra regenda petræ!
Arx illa Auſonię nunquam expugnabilis orę,
Hęc quoquè Sarmaticę Roma ſecunda plagę

Nicolai Skotnicki.

Nemo accendit lucernam.

TErrigenum ſoter veſcens vitalibus auris,
Diſcipulis olim talia dicta dedit.
Nemo ſuam accendit malè prouidus igne lucernam,
Protinus accenſam ſub modioqúe locat;
Sed ſuper in tenebris candelabra alta reponit,
Luceat vt cunctis quotquot in æde manent.
Fallor? an accenſa hęc quam cernimus igne lucerna
Sub modio lucem condidit ipſa ſuam?
Culma refer, referat ſedes Pomerana; quid inquis
Tu quoqúe Sarmatici gloria Craca ſoli?

Andreæ à Sczekarzowice Tarło

Acroſtichon Epigramma.

PRæ reliquis decorat quem ſum̃us rector Olympi
E ximiis rari dotibus ingenii
Ternam qui dextrè celebrem ſatis antè Cathedram
R exerat, & fauſto huic alite quarta datur.
Virtutem teneris coluit qui ſemper ab annis,
S upremosq; apices hac duce fretus adit.

Tota ſtupet cuius generoſa Polonia laudes,
I nter Sauromatas queîs, velut aſtra, micat
Lechiadum gaudet cuius Reſpublica florens
I ndole, conſiliis, dexteritate, fide.
Cunctaq; quæ digno reperiri Principe poſſunt,
I n quo ceu ſpeculo cernere quisque poteſt.
Vis noſſe hunc lector, quem talia carmina pingunt?
S upremos apices carminis aufer, habes.

Nocolai Skotnicki.

Parce metu Illuſtri decorata Cracouia Petro.

INternos patrię motus & ciuica bella,
Dum Craca conſpectu Pręſulis orba timet,
Sæpè graues imo gemitus de pectore ducens
Afflicto tales edidit ore ſonos.
O Rex Cęlituum populi miſerere rogantis,
Optatumquè Vrbî reddito Pontificem.
Annuit Omnipotens, celebrem tribus ante tiaris
Sancta Craci iuſsit ſumere ſceptra Petrum.
Ergo parce metu veneranda Cracouia, freta
Auxiliis Diuûm conſiliisque Petri.

Andreæ à Szekarzowice Tarlo.

Aggredere ô magnos digniſſime Præſul honores.

Veris

Veris principio Deus astra solumque creauit
Et protoplastus est fabricatus Adam ;
Veris principio violans mandata Tonantis.
E Paradisiacis pulsus in arua locis ;
Veris principio Moses Iudaica duxit
Agmina in offenso per freta sicca pede.
Veris principio Deus æthere missus ab alto
Propitium fecit, passus acerba, patrem.
Veris principio Cathedralem præsul ad Vrbem
Ingreditur , mitra splendidus atque pedo.
Quam benè respondet regimen lapsuiq; , figureq; ,
Imò etiam morti qua reparatus Adam ?
At tu Nestoreos viue optime Presul in annos.
Viue, & fælici Sceptra capesse manu.

Nicolai Skotnicki.

ANAGRAMMA
PETRVS TILICIVS
Episcopus Cracouiensis
Dux Seueriensis.

PETRE, SIS POPVLI DVX (NE SIC VIVE)
CRACENSIS
SIS VERI CVSTOS.

Purpureus Princeps vt mænia Craca reliquit,
Orba suo questa est Presule relligio.

Eheu quis lachrymis fiet modus, inde procellis
Hinc quoq; conſpectu Præſulis orba premor.
Audiit Omnipotens Pomeranaq; ſceptra tenenti
Præſuli honorato talia dicta dedit.

I PETRE, SIS POPVLI DVX (NE SIC VIVE) CRACENSIS
SIS VERI CVSTOS, hoc tuus vrget honor.
Ergo pone graues ô mœſta Eccleſia planctus
O benè pro magno Prȩſule, nacta patrem.

Andreæ à Sczekarzowice Tarlo.

Chronoſtichon

quando CraCI prȩſuL MItratos CæpIt honores
annI verſus erat CIrCVLus Iſte nouI

ALIVD
Continens Menſem & Diem.

bIs denos prImamque dIem dVm martIVs explet
ſponſa craci eſt arcto fædere IVncta petro.

Nicolai Skotnicki.

FINIS.